









*Pa. 3. num. 22.*

*24*

# EPISTOLA

*1755, 5*

QVA  
VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE ERVDITISSIMO  
**IO. ADOLPHO FALCKIO**

IENENSI LEGVM CANDIDATO DIGNISSIMO  
STVDIORVM MORVMQVE ILLVSTRISSIMI COMITIS  
**DE HOLSTEIN**

*P. 157*

REGENDORVM MVNVS NVPER OBTENTVM  
IVSSV SOCIETATIS  
QVAE  
DVCTV AVSPICIOQVE  
VIRI

PRAECELLENTISSIMI ATQVE AMPLISSIMI  
**M. IO. CHRISTIANI BLASCHE**

PHILOSOPHORVM ORDINIS AMPLISSIMI ADIVNCTI DESIGNAT.  
RECTORIS SCHOLAE IENENSIS ET SOCIETATVM  
TEVTONICAE ATQVE LATINAE IENENSIVM  
COLLEGAE

BONAS ARTES COLIT  
GRATVLATVR  
SIMVLQVE

DE  
**ESSENTIALI DISCRIMINE BELLI**

QVOD POENAE SVMENDAE CAVSSA GERITVR  
A BELLO REPARATIVO AC DEFENSIVO EIVSQVE CVM IVRE  
NATVRAE CONGRVENTIA DISSERIT

**IO. GODOFREDVS HAHN**

*Lincb. Hannover. I. V. C.*

MENS. IANVAR. A. A. S. V. P. CLO IO CC LV.

IENAE LITTERIS TICKELSCHERRIANIS.





EPISTOLA

NRO

ADOLPHO PACHIO

DE HOLSTEIN

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE

DE SOCIETATE

DE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE


DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE

DE SOCIETATE





VIR PRAENOBILISSIME  
ERVDITISSIME  
AMICE PERPETVO AMORE  
AMPLECTENDE

Quo arctior semper fuit nostra amicitia ac  
consuetudo, quo tenerior amor erga TE meus;  
eo maiori afficior gaudio, quod TIBI publice ani-  
mum meum TVI obseruantissimum declarandi  
occasionem nanciscor opportunissimam. Eru-  
ditionis enim TVAE non sane vulgaris, ac mo-  
rum venustatis, quam quidem cum illa pruden-  
ter consociasti, praemia ferre pulcherrima  
nuper admodum coepisti. Huius enim virtu-  
tis TVAE praestantia illustrissimum Comitem  
de HOLSTEIN certiozem de TE litteris factum  
permouit, vt TE idoneum ad filii sui doctri-  
nam



nam moresque formandos existimaret, Haf-  
niamque vocaret. TIBI igitur spartam tam  
amplam rebusque TVIS sane prosperissimam ca-  
pessenti, vt nomine societatis gratularer, quae  
sub praesidio Viri Praecellentissimi Blaschii  
flore, ad cuius ornamenta magnam attulit ac-  
cessionem per diuturnum tempus & voluntas  
TVA & doctrina, mihi a sodalibus nostris  
demandatum est. Prius tamen, quam huic iu-  
cundissimo muneri faciam satis, pace TVA *de  
essentially differentia belli punitivi a bello defen-  
sivo & reparativo, eiusque convenientia cum iu-  
re naturae differere mihi liceat.* Quod, quid-  
quid est eruditae commentationis, siquidem  
acumini TVO atque sollertiae parum respon-  
derit, certe humanitati TVAE propter animum  
scribentis probabitur.





**H**aud vnanimi consensu ad celeberrimam  
illam iurisprudentiae naturalis quae-  
stionem, quid de bello punitiuo leges  
ex ipsa rerum natura fluentes sanxe-  
rint, vtrum istis consentaneum, an mi-  
nus conueniens sit, respondent disciplinae de iusto  
atque iniusto doctores. Summus, quem excellentissi-  
ma merita sempiternae posteritatis tradunt memoriae,  
Grotius dictam belli speciem a bello reparatiuo ac  
defensiuo, vti loqui consueuerunt eruditi, omnino  
esse diuersum, & iurisprudentiae naturalis regulis non  
contrarium, defensum iuit & stabilitum. Quam qui-  
dem sententiam inter recentiores Ill. D A R I E S I V S, a)  
quem praeceptorem fidelissimum pie veneror, & cu-  
ius merita posteritas mirabitur, prae reliquis suam  
fecit. Sed plurimi legum naturalium doctores in



omnia abeunt. Partim bellum punitivum a bello reparativo atque defensivo vere esse distinctum negant, partim contra regulas iuris naturae pugnare credunt. Quenam autem est, cui calculum nostrum merito adiiciamus, opinio? *Equidem bellum punitivum sua natura a bello & reparativo & defensivo differre, iurique naturae conveniens esse*, breuiter quidem, sed firmiter demonstrare satagam. Quod ut eo facilius fieri possit, veritasque clarius elucescat, meum esse puto, ut indolem poenae sumendae, eiusque finem accuratius considerem.

a) in Obseru. I. N. Vol. II.

## §. II.

Poenam esse malum, quod alteri eam ob rationem infligitur, quia moraliter legem violauit, probat vsus loquendi tam vulgaris, quam receptus. b) Punitio igitur, quae est actus, quo ab aliquo poena sumitur, ideo tantum malis aliquem obruit, quia legem transgressus est, & iniuste egit. Qua ex definitione patet, *non sufficere ad punitionem malum alicui irrogari, sed necesse esse, ut ob eam actionis qualitatem infligatur, qua ut legis violatio spectatur*, seu ut is, qui malis alterum afficit, hoc faciat, quod alter moraliter agendo legem spreuerit. Si quis autem ea ex ratione quemquam aggrediatur, & malis afficiat, quia sibi ab hoc damnum illatum sit, ita quidem, ut nulla in alterum coniciat mala, si iste aliis damno fuerit, is neutiquam punit, sed vindictae locum facit. Sic etiam illum magistratus punire non dicitur, a quo ea ex causa, quia periculum est, ne minas suas, mortem vel aliud graue damnum alteri inferendi



ferendi, exequatur, cautionem per carcerem exigit, licet illi mala inferat. c)

b) Vid. DARIUS J. N. §. II9. GROTIUS J. B. I. II. c. 20. FLEISCHER J. N. Lib III. c. 8. §. 8.

e) Vid. LEYSER in Med. ad  $\pi$ . M. 2. Sp. XXXI. HEIZ in Jud. & Def L. III. §. 53.

### §. III.

*Finis punitionis proximus est taedium naturarum intelligentium aduersus mala, eorumque auersatio.* Poena est malum, quod infligitur solum ob moralein legis violationem. Ex mali vero intuitu taedium intuentis & auersatio naturaliter consequitur (per pneumatol.) Cui consequens hoc est, vt punitio, sit venia verbo, natura sua sit actus, quo in naturis intellectu praeditis taedium aduersus malas actiones, qua tales, ideoque auersatio illarum excitetur. Quidquid autem ira per actionem liberam obtinetur, vt, nisi illud per ipsam effici possit, non fiat existens, illud est actionis eius finis. Finis igitur punitionis in eo consistit, vt in naturis intelligentibus taedium aduersus legum transgressiones & seria illarum auersatio producat.

### §. III.

Atque his rite explicatis ad formandam *belli punitivi* notionem nos accingimus, & illud esse, quod punitionis, seu ut distinctius me exprimam, alios puniendi causa geritur, cum doctoribus in iuris naturalis scientia versatissimis merito affirmamus.

Vid. DARIUS Obf. J. N. Vol. II.

Ex hac vero notione ea, quae sequitur, probe notetur conclusio: *finis belli punitivi proximus est solum*  
pro-



*procreatio taedii aliorum aduersus mala, quatenus sunt mala, & auersationis iniusti, quatenus est iniustum.*

## §. V.

Perperam autem bellum *reparatum* aliter ac illud, quo damna illata resarcire & *defensiuum*, quo mala imminencia auertere studemus, definirem, quippe quae notiones doctoribus sunt receptae. Nonne vero exinde pronum fluit aluco, finem belli reparatiui proximum in eo tantum consistere, vt alter damnum restituat, non in eo, vt alter a malis actionibus & iniustis factis *abstineat*, porro, *finem belli defensiui illum esse, vt ne alter nos imperfectiores reddat, neuiquam vero, vt iniustum, qua tale, auersetur.*

## §. VI.

Bellum igitur *defensiuum* est, quod solum geritur ad mala imminencia auertenda, & reparatiuum, quod solum ad damna resarcienda geritur. Poena vero cum sumitur, mala alteri infliguntur eum in finem, vt alii taedium aduersus mala, qua talia, concipiant & illa auersentur. Ergo pugnancia diceres, si punitionem cum altera harum belli specierum coniungeres. Et quoniam, si quid ad aliud relatum, cum eius essentia pugnare intelligatur, ad illam ipsam nec pertinere, nec referri potest, consequens est, *vt punitio ad belli defensiui, vel reparatiui essentiam neque pertinere neque referri possit.*

## §. VII.

Facile igitur haec mihi dabitur argumenti conclusio, qua quidem efficitur, *vt bellum punitiuum sua natura*



*natura a bello reparatio & defensio differat.* Quidquid enim notam habet essentialem, quae ad alius rei essentiam neque requiritur, neque illi inesse potest, id habet essentiam, quae in huius essentiae locum poni nequit, ita ut cuncta maneant salua. Non poterit igitur alterius rei pro altera fieri substitutio, ac sunt diuersae essentiae, & differunt a se inuicem diuersitate in rebus ipsis posita, quae tolli nequit. Iam vero ex superioribus liquet, belli punitiui, quo poena ab aliquo sumitur, hoc ipsum esse proprium, quippe quod neque in reparatiuum, neque in defensiuum cadat. (§. 6.) Relinquitur ergo, ut horum bellorum essentia pariter atque natura sit diuersissima. Quae si quis coniungere vellet, ac bellum punitiuo-reparatiuum vel defensiuum cogitare, is certe quadrata rotundis misceret.

## §. VIII.

Demonstrata hucusque, quae necessario bellum punitiuum & reliquas belli species, nimirum reparatiuum & defensiuum intercedit, differentia, partium mearum esse iudico, ut, quae ab aliis ad eam sententiam oppugnandam allata sunt, remoueam. Prae ceteris autem argumentum, quod in tractatione nuperrime edita: *de indictione belli & clarigatione*, formatum legimus, eruerere iuuat. Quod ut eo accuratius fieri possit, illud iam recitem, necesse est. Sic autem se habet:

*Omne bellum, quod ita comparatum est, ut illo alteri poena inferri possit, potest esse punitiuum.*

*Bellum reparatiuum atque defensiuum est ita comparatum.*

B

Ergo



*Ergo eiusmodi bella punitiva fieri possunt.*

Propositionem minorem Auctor Generosissimus ita probatum iuit:

*Omne bellum, per quod alicui mala inferri possunt ob laesionem moralem, est ita comparatum, ut per illud alteri poena inferri possit.*

*Bellum reparatiuum vel defensiuum est ita comparatum, ut per illud alteri inferri possint mala ob laesionem moralem.*

*Ergo eiusmodi bella sunt ita comparata, ut per illa alteri poena inferri queat.\**

Tantum vero abest, ut posterius argumentum ad stabiliendam propositionem minorem prioris sufficiat, ut potius facili negotio eueri possit. Ratio loquendi: mala alicui ob laesionem moralem infligere, non vnus eiusdemque est significatus. Inferuntur moralis mala, aut ob laesionem moralem, quatenus ut laesio consideratur. Cum itaque medius terminus in posteriori ratiocinio duplici modo intelligi queat, duplici etiam modo argumentum potest explicari. Primum ita potest exprimi:

*Omne bellum, per quod alteri ob laesionem moralem, quatenus ut laesio consideratur, mala inferri possunt, alteri poena esse potest. Bellum autem reparatiuum et defensiuum ita sunt comparata, ut ob laesionem moralem, quatenus*  
 ut

\* Conf. M. R. GUNNERI vollständige Erläuterungen über das Natur-Recht des H. Hofrath Darjes P. V, p. 422. vbi hoc adfertur.



vt laesio spectatur, aliis per illa inferri possint mala.

Ergo per bellum reparatiuum aequae ac defensiuum aliis poena potest infligi.

Licet autem propositionem minorem huius argumenti concedam, propositio maior tamen repugnat veritati ob definitionem supra de poena datam. (§. II.) Deinde etiam ita potest superius argumentum exprimi:

Omne bellum, per quod alter ob laesionem moralem, quatenus ista vt actio moralis mala spectatur, mala inferri possunt, alteri poena esse potest.

Sed per bellum reparatiuum & defensiuum alteri ob laesionem moralem, quatenus vt actio moralis spectatur mala, infligi possunt. E. per bellum reparatiuum & defensiuum alter potest puniri.

Quamuis vero propositio maior sit vera, minor tamen est falsa. Per bellum enim defensiuum vel reparatiuum, si geritur ob laesionem moralem, alteri mala irrogantur, quia alterum laesit vel laedere voluisse creditur, non autem, quia a legibus perfectionem determinantibus in agendo recessit, siue quia male egit.

§. IX.

At vero ita quispiam cum celeberrimo GVNNERO contra me pugauerit: dices forsan, mala, quibus alterum premas, vt damnum resarciatur, ob hanc ipsam causam restituendi damni, non vero propter laesionem moralem illi inferri. Sed vnum alterum non tollit. Quomodo illi inferas mala, vt compensatio damni moralis

nus  
pos-  
vt  
ara-  
lae-  
oup  
illa  
tum  
uffi-  
o lo-  
ere,  
ntur  
ctio  
enus  
inus  
eat,  
cari.  
mo-  
nala  
Bel-  
sunt  
enus  
vt

8 Raz  
tur.





„ralis fiat, nisi moraliter te laeferit. Suprema igitur  
 „ratio est laesio moralis. Irrogas igitur illi ob laesio-  
 „nem moralem mala, si quidem, vt damnum resti-  
 „tuat, mala illi inferas. Si simul ad id respicimus,  
 „quod damnum sponte restituere noluerit, dici recte  
 „potest, si bello damnum reparare studeas, laedenti  
 „mala ideo infligi, quia damnum reparare sponte no-  
 „luerit. Ultima igitur causa est actio moralis praua,  
 „ideoque, si laedenti hic mala inferuntur, ob moralem  
 „actionem prauam infliguntur, ideoque ille punitur.  
 „Iurat paullo distinctius maxime reuerendi GVNNERI  
 „rationes euoluere, vt melius pateat, nihil illis contra me  
 „effici. Omnino affirmo, mala, quibus alterum ideo  
 „afficias, vt damnum restituat, ad reparandum dam-  
 „num, non autem ob laesionem, quatenus haec quidem  
 „vt actio praua legibusque contraria spectatur, illi in-  
 „ferri. Nego vero, vnum ab altero non tolli. Dicitur:  
 „quomodo vero alteri ad damnum reparandum mala  
 „inferrem, nisi morali laesione me turbasset? Ultima  
 „igitur ratio, cur mala alteri irrogentur, in laesione  
 „moralis posita est. Sed respondeo: omnino nulla ad  
 „damni restitutionem alteri inferrem mala, nisi mor-  
 „raliter me laesisset. Moralem igitur laesionem illam  
 „iure voco conditionem, qua demta, vt alter damnum  
 „restitueret, non agerem. Quo certius autem est, ra-  
 „tionem, qua damni refarciendi gratia ad alterum  
 „malis obruendum moueor, non in damno mihi con-  
 „tracto, sed in compensatione illius sitam esse; eo  
 „clarius etiam adparere posse puto, laesionem mora-  
 „lem seu actionem iniustam non illud esse, quod ad  
 „mala alteri inferenda, vt damnum refarciatur, me  
 „moueat. Satis abunde igitur patet, non vnum idem-  
 „que



que esse, alteri mala inferre ob damnum compen-  
sandum, seu ob laesionem, qua talem, & alteri mala  
inferre ob laesionem moralem, quatenus haec vt actio  
prava spectatur. Sed denuo dicis: „qui alteri bellum,  
infert, vt damnum datum refarciat, ille alterum ideo,  
malis afficit, quod ab hoc non sponte sibi satisfierit,  
videt,„ Concedo, sed si ulterius dicis, „: vltimum esse  
actionem malam, „& inde concludis, „turbanti propter  
actionem malam inferri mala, respondeo, conclusio-  
nem ita esse veram: alter ob actionem, quae est ma-  
la, afficitur malis, sed non ita: malis alter obruitur  
ob actionem malam, quatenus est mala.

§. X.

Ultimam nunc propositionem demonstratum  
ibo, bellum nimirum, quo poena sumitur, regulis  
ex ipsa natura humana promanantibus conueniens  
esse, quid? quod? certis sub conditionibus naturam  
hominem ad puniendum compellere. Quo facto so-  
le meridiano clarius apparebit, imprudenter ac stoli-  
de istam sententiam haeresi, vt dicunt, equiparari,  
ac poenae irrogationem violentum homines ad me-  
liorem frugem perducendi modum parum sapienter  
nominari.

§. XI.

*Bellum igitur punitivum legibus naturalibus li-  
citur est.* Per hoc enim bellum taedium in homine  
aduersus mala horumque auersatio producit. Ex  
quo consequitur, vt remedium hoc sit, quo veram  
mundi perfectionem, praecipuum, quem supremum  
numen respicit finem, amplificare possis. Cum



vero, quidquid ad perfectionem mundi stabiliendam & augendam facit, legibus naturalibus non repugnet, ut bello poenam ab altero sumere secundum ius naturae liceat, sequitur.

obi Fac, bello punitivo tempore quodam plurima bona produci posse, iure naturae quoque stimularis ad illud gerendum, cuius fundamentum vnicum est regula: tot, quot fieri possunt, perfectiones producas.

§. XII.

Hisc praemissis, facilis nunc erit responsio: vtrum gens gentem punire possit bello, nec ne. Quilibet enim perspicit, affirmando esse respondendum.

§. XIII.

At me fortasse eo, qui sequitur, modo nonnulli impugnaverint: „obligatio, perfectionem mundi, quoad fieri potest, stabiliendi et augendi, imperfecta modo „est. Ius igitur alios a malo arcendi vim omnem „excludit. Qua de causa neququam bello poenam ab „altero sumere licet, propterea, ut obligationi perfectio- „nis mundi, quam fieri possit, amplificandae facias sa- „tis.„ Luceat breuiter respondere. Ius naturae illud, quod doctores inter obligationem perfectam & imperfectam faciunt discrimen, minime agnoscit. Regula iuris naturae suprema: vera mundi perfectio, quae talis, vnica illa sit ratio, qua ad agendum mouearis, ad mala a te auertenda, et ad perfectionem aliorum augendam aequali obligationis vinculo nos tenet. Lex illa postulat, ut semper maximam, quam possis, in mundo producas perfectionem, siue illa ad



te proxime, siue ad alios pertineat. Maxima, quae quidem a nobis effici potest, perfectio, quatenus est talis, ad agendum nos impellit. Neutiquam igitur obligatio aliorum augendi perfectionem obligatione nostras amplificandi rationes, & mala a nobis arcendi, quantitate superatur. Quis quaeso diuersitatem quantitatis obligationum ex diuersitate subiectorum, in quibus perfectio, iuris naturae finis, producitur, deriuare recte poterit? Itaque luculenter adparet, argumentum ante prolatum ad euertendam meam de bello punitio sententiam neutiquam iustificare.


Sed ad iucundiora conuertitur animus meus, a malorum recordatione & belli aspectu in cogitatione mutuae inter nos beneuolentiae, locorum interuallis non dissoluendae, molliter acquiescens. TE iam absentem, etiamsi fructum oculis capere non licet, mentis oculis intueor, VIR mihi inter paucos amicissime, iustisque de causis perpetuo colende. Iuuat, cuius orationem hancce ingressus mentionem feci, rerum tuarum, laetissima conuersio, & quo maiori atque ardentiori studio semper in votis habui, ut digna pro meritis TIBI aliquando contingeret fortuna, eo impensius nunc laetor. Video igitur, primum gradum ad praemia capeffenda feliciter esse factum. Apertus est quasi campus felicitatis, in quem ingressus, dubium mihi esse nequit, quomodo sis progressurus, quantum quidem in TE sit. Praesto TIBI erit itineris dux atque comes prudentia, ut inoffenso pede procurras. Restat, ut altero comite, numinis propitii prouidentia stipatus, sartus tectusque ab insidiis atque calamitatibus, nulla arte humana superandis, pergas. Quod ut TIBI eueniat, omnes uehementem.



hementer cupiunt, quibuscum longo tempore honestissimo vinculo, litterarum scilicet, confociatus fuisti; & ego vel in primis ita cupio, precorque, vt magis ex animo & studio intensiori nemo precari possit. Vale resque TVAS semper feliciter age, & me TVI cupidissimum nunquam non redama. Scrib. Ienae, mens. Ianuar. A. A. s. v. P. clō Iō cc. LV.



Joh. Georg Hamberger, Ienensis, LL. C.  
 Joh. Frieder. Falcke, Ienensis LL. SS. C.  
 Hyeron. Ernest, Hinz, Hamburgensis LL. SS. C.  
 Christ. Henr. Paulsen, Ienensis LL. C.  
 Joh. Henr. Heus, Hamburgensis LL. C.  
 Christ. Ludew. Wideburg, Ienensis LL. C.  
 Gottfr. Wilhelm Heubler, Geranus LL. SS. C.  
 Christ. Wilh. Kelter, Hamburgensis LL. SS. C.  
 Joh. Gottfr. ab Exter, Bremensis M. C.  
 Balthaf. Münter, Lubecensis LL. SS. C.  
 Joh. Herm. Harnsen, Lubecensis LL. SS. C.  
 Franc. Bernh. Bruns, Holfatus LL. SS. C.  
 Henr. Dieter. Wolde, Lubecensis LL. SS. C.



164 d



ULB Halle

3

007 469 926



VD 18









Pa. 3. num. 22.

1755, 5

# EPISTOLA

QVA  
VIRO

ILLISSIMO ATQVE ERVDITISSIMO  
DOLPHO FALCKIO

SI LEGVM CANDIDATO DIGNISSIMO  
MORVMQVE ILLVSTRISSIMI COMITIS  
E HOLSTEIN

ORVM MVNVS NVPER OBTENTVM

IVSSV SOCIETATIS

QVAE  
DVCTV AVSPICIOQVE  
VIRI

LENTISSIMI ATQVE AMPLISSIMI  
CHRISTIANI BLASCHE

ORDINIS AMPLISSIMI ADIVNCTI DESIGNAT.  
SCHOLAE IENENSIS ET SOCIETATVM  
TICAE ATQVE LATINAE IENENSIVM  
COLLEGAE

ONAS ARTES COLIT

GRATVLATVR  
SIMVLQVE

DE  
IALI DISCRIMINE BELLI

E SVMENDAE CAVSSA GERITVR  
ATIVO AC DEFENSIVO EIVSQVE CVM IVRE  
RAE CONGRVENTIA DISSERIT

GODOFREDVS HAHN

*Lueb. Hannover. I. V. C.*

ANVAR. A. A. S. V. P. CLO ID CC LV.

E LITTERIS TICKELSCHERRIANIS.

